

NOBILISSIMO, CLARISSIMOQVE VIRO DOMINO, D.

PETRO HACHETTE

DOMINO DE LA MARE,

ET IN PARISIENSI CVRIA PRÆSIDIALI SENATORI INTEGERRIMO ΥΓΙΑΙΝΕΙΝ.

NON iniquè factum à me fuerit, *SENATOR INTEGERRIME, si quæ virtus omnium in se conuertit oculos, & amorem; me in tui reuerentiam, & cultum rapere videatur.*
Ex quo te noui, statim insedit quasi diuinitus animo voti huius adimplendi desiderium, morum tuorum dulcedine mirè prouocatus, & singulari Prudentia, quæ te proximum numinibus
sistit. Nullum numen abest, si sit Prudentia. *Eius ductu, & auspicio Astræam è Cælo quò se receperat, in nostrum orbem postliminio diceris reuocasse; quam ita domesticam, &*
familiarem tibi adiunxisti, vt admirabili quadam animi magnitudine excitatus malueris olim illam tunc valere iussam sequi exilij socius, quàm iniquiùs oppressam ab iniuria non vindi-
care. Ex quo sanè acerbiori casu omnes deprehendunt strictissimos esse virtutum inter se nexus, cùm in illo, quod grauissimè vrgebat, discrimine; non minùs licuerit rarum Temperantiæ tuæ exemplum
suspicere, quàm insigne Fortitudinis specimen admirari. Effrænis enim illa quorundam hominum libido, fucatà quâdam virtutis specie adumbrata, & integritatem ementita, quæ ἄλλα μὲν λέγει, ἄλλα δὲ πράττει,
& te Generosum offendit, & experta est Sapientem; quo nomine aduersus indecoram seruitutem, & adulationis vitium strenuum te, fortemque probauisti. Quod idcirco accidisse dixerim, ne
apud eum summas, ac fermè incredibiles animi dotes ignoraremus, apud quem eximia vitæ Probitas floreret; assiderentque velut comites honorariæ, singularis Modestia; insignis Comitas; animi Be-
nignitas mihi notissima, & exploratissima; optimarum artium, & litterarum Amor; Amicorum denique, quos nemo quamtumuis probus, & frugi plures habet, studium, & Cultura. Tot, & tan-
tis virtutum ornamentis, inuitati, VIR HVMANISSIME, tabellam hanc de Prudentiâ, Prudentiæ tuæ appendimus; vt tuo freti patrocinio, ex ancipiti, quam suscipimus, pugnâ erepti ad
victoriam euolemus. Et sanè Aperille tuus ipso aspectu ferox audaciam ad certamen inspirare; & aquarum Alueolus ille placido æquore conspicuus, post prælium, tranquillitatis portum videtur polliceri. Vale.

DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LVCÆ ORTHODOX. MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA.

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS VII. FEBRVARII,

M. PETRO REGNIER, Doctore Medico, Moderatore.

An parentibus iam senibus nati prudentiores? 965

QVIDQVID habemus virtutis aut vitij, omne à parentibus accepimus, qui etiamsi nobis animum non commodarint, quia tamen instrumenta quibus vtitur suppeditarunt, suum etiam in nos animum transfudisse videntur. Animi certè impeditj corporibus per se nihil agunt omnino; sed pro cuiusque temperie, & deformatione se mouent: vtrumque debemus parentibus, è quibus delibatus humor genitali spiritu incalescens, & matris vtero comprehensus formatur in hominem pene eumdem, decerpitur enim ex singulis parentum partibus seminalis humor, earumque minimè mendosum exemplar secum importat consimili prorsus temperie, & specie; hinc nisi naturam consuetudo mutauerit liberis hæreditaria fit bona, vel mala corporis, animique parentum valetudo. Sic morbosis morbosi nascuntur, stulti stultis, prudentes prudentibus; at diuersæ consuetudini maximum in qualemcunque naturam imperium est.

HEROIBVS sua proles fuit olim dedecori, nullo naturæ crimine; prauorum consortium, & mollior magistrorum indulgentia bona virtutis semina malè perdiderunt. Deteriore vitæ consuetudine peruersa est corporis temperies, deiectus animus; sic enim se res habet, propensiones quasdam ad virtutem habemus à naturâ, quæ si aliò deflectatur, aliorsum quoque mentes inclinat. Ille quem ad prudentiam aptissimum meritò iudicabas; quia præstantius corporis sui temperamentum ignauiâ, luxuriâque amisit, singulari naturæ beneficio frui non potest. Hunc auersis Musis, & Apolline ipso natum deierasses, cui suæ naturæ contraria vitæ ratio aliam corporis inuexit temperiem, capacemque virtutis; quippe suspensas habet à corporis temperie rationes suas omnes animus, & illâ euersâ stare non potest, aut excitatâ iacere.

OPTIMA vitæ magistra Prudentia, expetendarum & fugiendarum rerum author certissima, diuinâ quâdam vi in obscuros etiam rerum euentus mittit animum, sedatâ tranquillitate perfruentem; animi autem quies non à solâ vitæ prosperitate pendet, corporis temperamentum eam præstat. In iuuentute animus nullâ fortunæ procellâ iactatus huc illuc impellitur. In senectute compresso æstu humorum, infestis etiam rebus stat immotus, & cum aduersitate colluctatur. Omni corpore frigidiores sunt, & sicciores senes, tum maximè cerebro. Ergo si quid ad ipsum vaporum ex inferiori corpore aspirat, statim concrescit in humorem mox infernis partibus grauem. Iuuenibus aduenientes in cerebrum denso agmine fumi se permiscent spiritibus, quibus diutiùs impliciti splendidam alioquin eorum lucem obscurant, & quasi nubes in cœlo varias pingunt imagines rectæ rationi illudentes, ea verò decepta decipit quoque, nec verum fert de rebus iudicium.

MAGNO emitur Prudentia, siue naturâ, siue longiori vitâ aptiores ad eam fiant homines: breuis vt plurimùm prudentioribus vita superest, neque tam rerum vsu sapiunt senes, quàm labantis ætatis temperie. Hæc mortis vicinos etiam vates facit, quæ summa est Prudentiæ vis, primordia rerum, ipsarumque discrepantias intelligere, & occupare cogitatione res futuras. Alia ætas vix potest, nisi similem temperiem nanciscatur; nam quandiù feruet in venis sanguis, plurimis, & crassis vaporibus aspersi, & concitati spiritus animales in cerebro tumultuantur. In his turbis haudquaquam certa iniri potest cuiusuis rei diuturna cogitatio, quod ad Prudentiam pernecessarium est: siue autem deferbuerit sanguis, siue omnino non efferbuerit, sic habitis suus est semper animus, & diuinitatis particeps latentes rerum causas tam bene per se contemplatur, quàm solemus oculis, quæ ante pedes posita sunt.

SENIBVS parentibus natos ipsa specie senes dixeris, caui oculi, pallidula facies, gracilitas corporis, substristis aspectus, sermo etiam atque incessus cum aliqua authoritare, & grauitate senes loquuntur. Teneris adhuc annis iam signa apparent maturescentis Prudentiæ; nondum adulti, senes sunt, adeò frugi, & prudentes apparent. Hoc eis impertita est parentum frigida, & sicca temperies; non ebulliunt in ipsis humores, non fumant; hinc nulla animi perturbatio, & tutissima Prudentiæ salus. Iucundæ enim, aut molestæ res non adeò solent animos commouere, nisi qui in corporibus æstus cooriantur; neque præceps, aut incerta cogitatio cuiusquam est, nisi vehementi vaporum quasi turbine, aut repentè abripiatur, aut aliquando versetur, ac rotetur animus. Subducuntur his procellis senibus nati, & longa placiditate gaudent.

Ergo parentibus iam senibus nati prudentiores.

Proponebat Lutetiæ BERTINVS DIEVXIVOYE, Cenomanus, A.R.S.H. M. DC. XLVII.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Nicolaus Richard.	*M. Petrus Tuelin*, Med. Reg.	*M. Michael de la Vigne.*
M. Petrus le Mercier.	*M. Mathurinus Denyau.*	*M. Iacobus Perreau*, Decanus.
M. Claudius Guerin.	*M. Franciscus le Vignon.*	*M. Nicolaus Henault.*

